



quaerunt modo illum: u) Contendunt, Christum omnia ea docuisse, quae ad salutem nostram sub euangelio sint scitu necessaria. x) Quodsi nunc autem illud consideres, quo sint haec omnia tamquam ad finem referenda: volunt ex illis sufficientiam religionis Christianae efficere.

## §. V.

Quorum omnium veritas non modo non minuitur, sed etiam augetur attributo illustri, diuinitate, quam nostro salvatori adiungimus. Augetur *primum*: Efficacior fides fit. Nam maior est, quae inde oritur caritas. Ergo et plus in sempiterna salute nostra acquirenda fides valet, si ille, in quo versatur fides, aeternus atque verus Deus est. Causae enim fortiores atque sanctiores sunt, quibus impellitur nostra ad rectas actiones, atque fiduciam in Christo collocandam, voluntas. Non *alterum* minuitur. Certior est enim Dei, quam hominis, remuneratio, atque copiosior, quam si ab homine sit, in ea est iustitia. Accedit, quod prorsus est *advocator*, si Deus remunerator existit, homines ad suam atque propriam utilitatem totum interdum tale negotium referre. Purior itaque etiam atque perfectior remuneratio erit, si Christus tamquam Deus adsumitur, quam si in eotantum hominem, remunerantem, colimus. Et quid de *tertio* illo dicam tandem, ex quo Sociniani sufficientiam Christianae

u) pag. 6. Edit. cit.

x) pag. eadem.

E